

CONTROVERSIARUM  
DE JUSTIFICATIONE  
LIBER SECUNDUS

QUI EST DE JUSTITIA INHÆRENTE.

CAPUT PRIMUM

*De variis erroribus circa formalem causam justificationis.*

Expeditis iis, quæ Justificationem præcedunt, de ipsa justificatione, id est, de causa formali, propter quam homo dicitur justus coram Deo, disserendum est. Magna sane quæstio, et hoc tempore præter cæteras maxime necessaria.

Hæretici siquidem Lutherani ad hanc disputationem illustrandam, magnum a se lumen accensum esse gloriantur. Cum tamen tanta eam opinionum confusione turbaverint, ut multi jam apud eos de veritate reperienda non sine ratione desperent. Exponam igitur breviter præcipuas eorum sententias, ut inde statu quæstionis invento, commodius et veritatem comprobare, et quæ contra eam obijciuntur argumenta refutare possimus.

Primus igitur Lutherus causam formalem justificationis aliquando fidem, aliquando Christum ipsum fide apprehensum, facere videtur. Sic enim loquitur in comment. ad cap. II. ad Galat. « Sicut Sophistæ dicunt charitatem informare et imbuere fidem; sic nos dicimus, Christum informare et imbuere fidem, vel formam esse fidei. Ergo fide apprehensus et inhabitans Christus, est justitia Christiana, propter quam nos Deus reputat justos, et donat vitam æternam ». Ibidem tamen etiam hæc habet: « Est ergo formalis nostra justitia, ipsa fides et nebula cordis, hoc est, fiducia in rem, quæ non videtur ». Itaque varie locutus est Lutherus; et ideo discipuli ejus in varias sententias abierunt, quamvis in eo convenirent, ut

dicerent, sola fide hominem justificari, et nullam esse in nobis inhærentem justitiam.

Philippus Melancthon in confessione Augustana, art. 4, scribit, fidem ipsam nobis pro justitia imputari coram Deo. Sed in art. 20. et in Apologia Confessionis, art. 4. 5. 6. et 20. sæpius repetit, non propter ipsam fidei virtutem nos coram Deo justos reputari, sed propter Christi meritum: dici autem nos fide justificari, quia fides apprehendit misericordiam Dei. Proinde Philippus quoque non semper uno modo loquitur, cum interdum fidem, interdum Christi meritum, interdum Dei misericordiam videatur facere formalem causam justificationis.

Quocirca Osiander in confutatione scripti, quod contra ipsum ediderat Melancthon, testatur, viginti discrepantes sententias apud solos Confessionistas numerari de justificatione. Et in libro, quem scribit contra Nicticoracem quemdam, ita loquitur de Philippo, ejusque discipulis: « Simul ac locum aliquem Scripturæ viderunt, in quo justitiæ mentio fieret, statim ex eo novam justitiam sunt fabricati ». Atque ibidem recenset quatuordecim de justificatione sententias. Ipse autem Osiander ex Lutheri libris docuit, formalem causam justificationis esse illam ipsam justitiam, qua Deus essentialiter justus est. Sic enim intellexit, quod Lutherus ait, ipsum Christum in nobis habitantem esse formalem nostram justitiam. Itaque Osiander non agnoscit imputativam justitiam cum aliis Lutheranis, neque inhærentem cum Catholicis, sed inhabitantem cum Lutheris, ut ipse eum interpretatur. Extat ejus confessio, in qua sic loquitur: « De confessionistis, hypocritæ docent, justitiam nostram nihil esse aliud, quam quod Deus nos pro justis habet, etiamsi simus peccatores,

et nostram justitiam esse extra nos ». Et in confutatione scripti Philippi, scribit, Deum non acceptare ullam justitiam, nisi suam propriam, et essentialem. Refellunt hanc Osiandri sententiam, cum alii permulti, tum Joannes Calvinus satis copiose lib. III. Instit. cap. 41.

Matthias Illyricus in Centuriis, cent. 1. lib. II. col. 238. his verbis proponit sententiam, quam ex Luthero se didicisse gloriatur: « Justitia, quam Deus impio imputat, non sunt qualitates, aut virtutes nostræ, neque ipsa Dei essentia, sed divina et substantialis justitia, sed totum opus, quod Christus homo et Deus in una persona mediator noster pro toto genere humano præstitit ». Eodem fere modo loquuntur in Colloquio Altemburgensi tum Saxonici, id est, Lutherani rigidi, tum Electorales, id est molles: « Inter nos, inquit isti, nulla est dubitatio, quin sacra Scriptura justitiam Christi, per quam nos coram Deo justificamur, et qua justus sumus, passionem et obedientiam Christi claris et perspicuis verbis appellet ». Et ibidem Saxonici: « Obedientia, inquit, et meritum Christi est res ipsa, quæ nobis imputatur, est justitia ipsa, quæ nobis donatur, atque adscribitur ».

Joannes Calvinus admittit quidem cum Lutheranis, non esse in nobis ullam inhærentem justitiam, et imputari Christi justitiam, et propter eam condonari peccata, proprie tamen in ipsa remissione peccati sitam esse docet justificationem. Existimat enim nomen justificationis esse forensè, neque aliud esse justificare, nisi justum pronuciare. Itaque in lib. III. Institut. cap. 41. §. 2. sic ait: « Nos justificationem simpliciter interpretamur acceptationem, qua nos Deus in gratiam receptos pro justis habet: eamque in peccatorum remissione, ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus. Et ibidem §. 3, justificare nihil aliud est, quam cum qui reus est, vel agitur, tamquam approbata innocentia a reatu absolvere. Cum itaque nos Christi intercessione justificet Deus, non propriæ innocentie approbatione, sed justitiæ imputatione nos absolvit, ut pro justis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus ». Itaque cum idem Calvinus in eodem cap. §. 21. et 22. et in Antidoto Concilii ad sess. 6. contendit, justificationem non esse positam nisi in peccatorum remissione, non excludit imputationem justitiæ Christi, sed internam renova-

tionem et sanctificationem; quam justitiæ nomine omnino indignam esse judicat.

Martinus Bucerus in libro Concordiæ, ut fortasse Catholicos aliquos seduceret, ut fecit, duplicem justitiam excogitavit, a qua formaliter justificaremur; unam imperfectam, quæ in virtutibus in nobis inhærentibus sita sit: alteram perfectam, quæ est ipsa Christi justitia nobis imputata. Quoniam enim justitia nostra numquam talis esse potest, ut judicium Dei sustineat, ut ipse dicit, ideo necessariam esse imputationem justitiæ Christi, ut illa induti, et quodammodo tecti coram Deo compareamus, et justus pronunciemur. Hinc in libello Imperatori Ratisbonæ exhibito a Lutheranis (quorum princeps Bucerus erat) sic legimus in art. 5. « Et si autem is qui justificatur, justitiam accipit, et habet per Christum etiam inhærentem: tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli justitiæ Christi nobis donatæ, sine qua nulla omnino est, nec esse potest justitia ».

In eandem sententiam, sive potius errorem incidit Albertus Pighius in secunda controversia, et auctores Antididagmatis Coloniensis. Quocirca Bucerus in libro Concordiæ jam citato, in articulo de Justificatione, fatetur, Pighii sententiam non dissentire a Lutheranorum sententia, quod atinet ad causam formalem justificationis, sed solum quantum ad causam apprehensivam, quam Lutherani solam fidem, Pighius dilectionem potius, quam fidem esse definit.

Cæterum quidquid Bucerus de Pighii communione cum Lutheranis dicat, duabus in rebus dissidet a Lutheranis Pighius. Primum enim Lutherani virtutes, quæ sunt in nobis per gratiam Dei, non dignantur ullo modo nomine justitiæ (solo excepto Bucero) sed inchoatam obedientiam et renovationem vocant, quam ipsam per se adeo contemnunt, ut injustitiam esse velint, et sempiterna morte dignam existiment, ut perspicuum est ex Calvino, Kemnitio, et aliis: « Omnia hominum opera (inquit Calvinus lib. III. Institut. cap. 12. §. 4.) si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta sunt et sordes ». Et cap. 14. §. 9. « Nullum a sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem ». Neque ipsum Bucerum credibile est, justitiam in nobis inhærentem possuisse, nisi nomine. Neque enim axioma illud Lutheri negare ausus fuisset: « Justus in omni bono opere peccat mortaliter ». At Pighius et Colonienses justitiam inhærentem

imperfectam dixerunt, non quod injustitiam esse crederent, sed quod eam imparem esse censerent ad magnitudinem adoptionis filiorum Dei, quæ per justificationem acquiritur.

Deinde (quod est discrimen longe maximum) Bucerus et cæteri sectarii, sententiam suam obstinate defendunt, neque Ecclesiæ Catholicæ judicio acquiescere sunt parati; proinde non errantes, sed hæretici merito nominantur. Pighius autem, et Colonienses semper in Ecclesiæ Catholicæ communionem manserunt, parati illius judicio suum, sententiamque subicere; quocirca illorum errore nulla animositate, sed sola ignorantia defensum tegere potuit charitas unitatis.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, errores de justificatione quinque numerari posse videntur. Unus est, formalem causam justificationis esse fidem. Id enim (saltem verbo) tum in Lutheri scriptis, tum in Augustana Confessione reperimus. Alter, formalem causam justificationis esse Christi obedientiam, et justitiam nobis imputatam. Id enim Illyricus, et plerique alii docent. Tertius, formalem causam justificationis esse justitiam Dei essentialem nos inhabitantem. Id enim docuit Osiander. Quartus, formalem justificationem sitam esse proprie in sola remissione peccati. Id enim Calvinus affirmat, quamvis non neget (ut diximus) ad justificationem requiri etiam imputationem justitiæ Christi. Quintus, formalem causam justificationis duplicem esse, justitiam nostram inhærentem, et Christi justitiam imputatam. Id enim Pighius et quidam alii docuerunt.

## CAPUT II.

*Proponitur sententia Ecclesiæ, et aperitur status quæstionis.*

Ecclesiæ Catholicæ sententia de causa formali justificationis, explicatur a Tridentina Synodo sess. 6. cap. 7. his verbis: « Unica formali causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justii nominamur, et sumus ». Et paulo infra: « Id in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur

in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hac simul infusa, accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem ».

His verbis, omnes quinque errores damnantur, quos capite superiore numeravimus. Nam cum dicitur, Unica esse formali causa; rejicitur sententia Buceri, et Pighii, de duplici justitia; cum dicitur ea esse justitia Dei, non qua ipse justus est, rejicitur sententia Osiandri de justitia divina per essentiam; cum dicitur, qua renovamur spiritu mentis, et quæ inhæret, et qua justii vere nominamur et sumus, rejicitur sententia Lutheranorum de justitia imputativa; cum dicitur ea justitia non consistere in sola remissione peccatorum, rejicitur sententia Calvinii de justificatione more forensi; cum dicitur, justitia nostra esse fides, spes et charitas infusa, rejicitur sententia Lutheri de sola fide.

Porro status totius controversiæ revocari potest ad hanc simplicem quæstionem, sitne formali causa absolutæ justificationis justitia in nobis inhærens, an non. Nam si quis probet partem affirmantem, eodem tempore refellet omnes contrarios errores. Nam si formali causa justificationis est justitia inhærens, non igitur justitia Dei inhabitans; vel justitia Christi imputata; vel sola remissio peccati sine renovatione hominis interioris. Et si justitia inhærens est formali causa absolutæ justificationis, non igitur requiritur imputatio justitiæ Christi, quæ justificationem alioqui inchoatam et imperfectam absolvat. Neque sola fides est nostra justitia, cum fides (ipsis etiam Lutheranis testibus) non possit absolute justificare et ideo (ut loquitur Confessio Augustana art. 4.) non tam sit, quam reputetur a Deo justitia. Itaque omnes illi errores, aut non ponunt justitiam inhærentem, sed extrinsecam, aut si ponunt inhærentem, nolunt eam absolute justificare. Proinde omnes refutantur, si probetur justitia inhærens, quæ absolute simpliciterque justificet.

Est autem hoc loco breviter annotandum, Kemnitium more suo fraudulenter admodum proponere statum quæstionis de formali justificatione. Dicit enim id in controversiam vocari, Quid sit id, propter quod Deus hominem in gratiam recipiat? an sit meritum filii Dei, an inchoata in nobis novitas? et plane tragice queritur, nos detrahere vim justifi-

candi merito Christi, ut tribuamus eam virtutibus, et qualitatibus nostris. Ubi primum de industria loquitur improprie, ut confundere possit causam formalem cum meritoria, et illa ambiguitate sententiam Catholicam odiosam reddat. Nam si quis proprie loqui velit, non utetur voce, « propter », sed, « per », cum formalem causam designare voluerit. Si quis enim quærat, per quid vivit homo? per quid ignis est calidus? per quid lucent sidera? recte respondetur, per animam, per calorem, per lucem, quæ sunt causæ formales. Si vero quærat, propter quid Imperator triumphat? propter quid milites pugnant? respondebitur, non reddendo causam formalem, sed meritoriam, aut finalem. Dicemus enim milites pugnare, ut vincant, imperatorem triumphare, quia vicit et vincendo triumphum promeruit. Sic igitur, si Kemnitius sine fraude ageret, proprie loqueretur, ac diceret id esse quod queritur, quid illud sit, per quod homo justificatur, an justitia sibi a Deo per Christi merita donata et inhærens, an ipsum Christi meritum extrinsecus imputatum.

Deinde, in eo quoque fraudulenter egit, quod merito filii Dei opposuit quasi e regione inchoatam renovationem nostram, inde invidiam nobis apud suos concilians, quasi pluris faciamus renovationem nostram quantumvis imperfectam et inchoatam, quam ipsum perfectissimum atque absolutissimum meritum filii Dei.

Remotis igitur fraudibus, et ambiguitate verborum, ad quæstionem (ut a Kemnitio proponitur) an videlicet justificemur propter meritum filii Dei, an propter inchoatam renovationem nostram, respondemus, si illud, « propter, » significet causam formalem, nos justificari propter novitatem nobis inhærentem, non propter meritum Christi, quod inhærens non potest. Si vero significet causam meritoriam, nos justificari dicemus propter meritum filii Dei, non propter novitatem in nobis inhærentem. Si denique significet causam in communi, asseremus, justificari hominem propter utrumque, sed propter meritum filii Dei meritorie, propter novitatem in nobis inhærentem formaliter.

Sed non minori fraude Concilii Tridentini sententiam Calvinus exposuit. Sic enim scripsit in antidoto ad sess. 6. « Causam justificationis Tridentini faciunt duplicem, ac si partim remissione peccatorum, partim spiritali regeneratione justii essemus. Vel ut

aliis verbis exprimam, quod sentiunt, ac si partim imputatione, partim qualitate justitiæ nostræ constaret. Ego autem unicam et simplicem esse assero. » Sed hoc ipsum nos in illum majori ratione regenerare possumus, quippe qui lib. III. Institution. cap. 11. §. 2. disertis verbis justificationem in peccatorum remissione, et justitiæ Christi imputatione sitam esse scripsit. Quid enim hoc aliud est, nisi causam justificationis duplicem facere? Concilium autem Tridentinum sess. 6. cap. 7. apertissimis verbis unicam esse dixit formalem causam justificationis, justitiam videlicet Dei, nobis infusam et inhærentem.

Quod si Concilium in eodem loco separatim meminit remissionis peccatorum et infusionis gratiæ, id fecit, non ut significaret, duplicem esse causam formalem justificationis, sed ut indicaret, duos esse terminos ejus motus, qui dicitur justificatio, sive duos effectus ejusdem causæ; nam (ut idem Concilium recte definit) justificatio est translatio hominis ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adami in statum adoptionis filiorum Dei, juxta illud Apostoli, ad Coloss. I. « Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ ». Non potest autem hæc translatio fieri, nisi homo per remissionem peccati desinat esse impius; et per infusionem justitiæ incipiat esse pius. Sed sicut aer cum illustratur a sole, per idem lumen, quod recipit, desinat esse tenebrosus, et incipit esse lucidus: sic etiam homo per eandem justitiam sibi a sole justitiæ donatam, atque infusam, desinat esse injustus, delente videlicet lumine gratiæ tenebras peccatorum, et incipit esse justus, succedente nimirum tenebris peccatorum ipsa luce justitiæ.

Quod autem Calvinus dicit ex sententia Concilii, justificari hominem partim imputatione, partim qualitate, mirum est, unde illi venerit in mentem, nisi forte sententiam Pighii legerit, et eam Catholicis omnibus communem esse censuerit. Certe Concilium non solum cap. 7. unicam tantum facit causam formalem justificationis, et eam in ipsius justitiæ inhærentis infusione constituit, sed etiam can. 10. disertis verbis anathema dicit iis, qui sentiunt, nos per Christi justitiam, justos esse formaliter, quo canone sententia Pighii sine dubitatione damnata est.

Quod autem can. 11. idem Concilium anathema dicit iis, qui docent; hominem justificari aut sola imputatione justitiæ Christi

aut sola remissione peccatorum, damnantur eo canone duo quidam errores, alter Lutherorum, Calvini alter, sed non significatur, Concilii sententiam esse, hominem justificari quidem imputatione justitiæ Christi, sed non sola: jam enim, ut diximus can. 10. absolute fuerat definitum, non justificari hominem formaliter per justitiam, qua Christus ipse justus est. Ac de statu quidem quæstionis satis est dictum.

### CAPUT III.

*Inhærentem esse justitiam nostram formalem, probatur ex Scripturis.*

Nunc ad argumenta pro veritate veniamus. Primum argumentum sumitur ex verbis illis Apostoli ad Roman. v. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi* (1).

Ex hoc loco habemus, justificari per Christum, non esse haberi, aut pronuciari justos, sed vere fieri atque constitui justos, per adeptionem inhærentis justitiæ, et justitiæ non imperfectæ, sed absolutæ et perfectæ. Nam justificare hoc loco esse justum facere, non justum pronuciare, perspicuum est tum ex illis verbis, Justi constituentur multi, ubi declarat Apostolus ipse, quid sit justificari, ac dicit esse justum constitui; justum autem constitui, et justum fieri idem sunt; tum ex antithesi Adami ad Christum, scribit enim Apostolus, sic nos constitui justos per obedientiam Christi, quo modo constituti sumus injusti per inobedientiam Adami: constat autem per inobedientiam Adami nos injustos esse constitutos, injustitia in nobis vere, ac re ipsa inhærente, non injustitia Adami nobis imputata.

Esse autem justitiam, quam per Christum adipiscimur, veram, absolutamque justitiam, intelligi potest, tum ex eo, quod Apostolus vocat eam abundantiam justitiæ; tum ex

(1) Rom. V. 17.

eo, quod idem Apostolus dicit, majus esse Dei donum, quam Adæ peccatum. Inde enim sequitur, ut si peccatum Adæ veram in nobis et absolutam injustitiam posuit, ut omnium consensu posuit, certe Dei donum veram in nobis absolutamque justitiam ponat.

Sed occurrunt Calvinus et Kemniti, et probare nituntur, Apostolum hoc loco per vocem « justificare, » nihil aliud significare voluisse, nisi justum, pronuciare. Primo, quoniam opposuit verbum, « justificare, » verbo, « condemnare, » cum ait, « judicium ex uno in condemnationem, gratia ex multis in justificationem ». Et rursus cap. 8. « Deus, qui justificat, quis est, qui condemnet ».

Secundo, quoniam Apostolus sine dubio phrasim Hebraicam imitatur, tametsi græce scribat; Hebraice autem verbum, « justificare », forensis plane significationem habet.

Tertio, quoniam Latina vox, si proprietas inspiciatur, nihil significat aliud, nisi justum pronuciare. Quamvis enim a Patribus interdum justificare, accipiatur pro eo, quod est justum facere: tamen ea notio non invenitur apud bonos linguæ Latinæ auctores. Denique, Catholicos Kemniti reprehendit, quod nimis hæreant in ipsa compositione vocabuli, quasi justificare sit justum facere, quia componitur ex nomine justum et verbo facere.

Respondeo ad primum, justificatio recte opponitur condemnationi, et tamen non ideo semper est forensis vocabulum. Nam ipsa etiam condemnatio interdum est actus judicis deputantis ad pœnam eum, qui in judicio reus inventus est: interdum autem est effectus culpæ, quæ pœnam commeruit. Siquidem et Adam nos condemnavit et Deus. Sed Adam nos condemnavit non judicando, nec modo forensi, sed imprimendo culpam originalem: Deus autem judicando damnavit. Ad eundem igitur modum et justificatio nunc est actus judicis, nunc effectus gratiæ; et ipse idem Christus primo, ut secundus Adam, nos justificat delendo peccata, et gratiam infundendo, secundo, in die judicii nos justificabit, declarando justos, quos ipse antea fecit justos.

Præterea, quamvis condemnatio et justificatio alicubi significant actionem judicis, ut in illo loco citato: Judicium ex uno in con-

demnationem, etc., tamen quando Deus justificat impium, declarando justum, facit etiam justum; quoniam judicium Dei secundum veritatem est. Itaque sive Christus per obedientiam suam, sive per judicium suum nos justificet, semper facit justos. Et hoc modo locum istum intellexit S. Augustinus lib. i. de peccatorum meritis et remissione, cap. 15. ubi dicit, in Christo justificari, ex sententia Apostoli ad Roman. v. non esse solum imitatione Christi justum fieri, sed etiam per ejus gratiam regenerari: sicut in Adamo condemnari, non esse solum imitatione Adami, sed carnali etiam generatione ad culpam trahi.

Ad secundum de voce Hebraica, dico verbum *צדיק* et *צדיק* proprie nihil esse aliud, nisi justum facere, sed quia potest aliquis fieri justus, tum intrinsece per adeptionem justitiæ, tum extrinsece per declarationem, inde eandem vocem ad varia significanda traduci. Porro non deesse loca in Scripturis, ubi vox illa significet justum facere, non more forensi declarando, sed vere efficiendo justitiam, perspicuum est ex verbis illis Danielis cap. 12. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Illud enim: *Qui ad justitiam erudiunt*, in Hebræo est *מצדיקים*, id est, justificantes, sive qui justificant. Et non potest hoc trahi ad judices declarantes, significat enim Propheta magnam futuram esse gloriam Doctorum, qui multos ad justitiam docendo perduxerint.

Neque multum prodest adversariis, quod aliqui eorum dicunt, Danielem loqui de ministris Evangelii, qui annunciant remissionem peccatorum per fidem Christi, quasi justificare sit indulgentiam prædicare. Nam etiam hoc modo justificare non erit forensis vocabulum, quomodo Calvinus et Kemniti, illud accipiunt. Non enim qui prædicat Evangelium, pronunciat homines esse justos, more judicis, sed aperit viam ad justificationem, et eo modo causa est, ut auditores justii efficiantur ex impiis. Non enim dicit, ego vox omnes justos esse pronuncio, sed ait, credite Evangelio, et justificabimini: quemadmodum nullus judex loquitur. Itaque certum est apud Danielem loco notato, verbum *justificanti*, non admittere forensis significationem.

Sed est alius locus adhuc illustrior apud

Isaiam, cap. 53. ubi de Christo sic loquitur Isaias: *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit* (2). Ubi est verbum in *hiphil* quod justum facere significat. Conatur quidem Kemniti hunc etiam locum detorque- re ad significationem forensis, sed frustra. Quatuor enim vocabula manifeste repugnant ejus interpretationi.

Primum est, « in scientia sua ». Id enim significat, interprete S. Hieronymo, Christum variis modis justificasse homines, atque unum ex eis modis fuisse doctrinam. Qui autem docendo justificat, certe non judicis more justificat.

Alterum est, « ipse justus », qua voce significatur, Christum non solum docendo, sed etiam juste operando, ac nobis justitiam suam impartiendo justificare. Porro non requiritur ad justificandum more forensi, ut is justus sit, qui alios justificat, sed necessario requiritur, ut is justus sit, qui bene operando justificare debet. Et ideo beatus Paulus ad hunc locum alludens ait ad Roman. III. *Ut sit ipse justus et justificans.*

Tertium est, « servus meus ». Sic enim legendum est, non servos meos, ut habent aliqui codices vitio librariorum, in Hebræo enim est *עבד*; significat autem hæc vox, Christum servisse Deo Patri in opere justificationis, ac per hoc justificasse homines non judicando, sed ministrando, ut ipse dicit Matth. xx. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* (3). Unde et ab Apostolo Roman. xv. vocatur minister circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum.

Quartum est, « iniquitates eorum portabit ». Hic enim significatur modus, quo Christus ministrando justificat, ubi vox Hebræa *נבל* significat, gestare quasi in humeris. Itaque docet Isaias, Christum nos justificasse portando sarcinam peccatorum nostrorum in humeris suis, id est, luendo pœnam nobis debitam. Quo alludit sanctus Petrus in epist. I cap. II. cum ait: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis* (4). Ubi vides effectum satisfactionis Christi, esse justitiam et sanitatem nobis inhærentem. Non igitur, in hoc Isaiæ testimonio, « justificare » accipitur more fo-

(1) Dan. XII, 3. — (2) Isai LIII, 11. — (3) Matth. XX, 28. — (4) I Pet. II, 24.